



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

183 Dictio eo ipso, quid operetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Facultates sibi eligendi confessarium, qui à quibuscunque casibus quantumvis enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, eos possint absolvere qui cordulam, corrigiam, seu habitum cujuscunque religionis susceperunt, aut suscipient in futurum, vel in quibuscunque confraternitatibus, seu sodalitatibus, quo vis modo privilegiatis, se receperunt, seu se describi fecerunt: comprehenduntur, etiam sub eadem revocatione, sub qua sunt reformatæ, adeo, ut eorundem privilegiorum vigore confessarii à casibus quibuscunque Sedi Apostolicæ Vicario Urbis, & locorum Ordinariis reservatis absolvendi facultatem habent, *ut in eod. §. decernimus insuper, ibi aliis etiam casibus Sedi Apostolicæ reservatis. Per quam constitutionem derogatur etiam iudicatis, privilegiis, & facultatibus quibuscunque concessis, de quibus scripsi in d. cap. 38, n. 175. ver. declarando eod. tom. 1.*

2. Demum † confraternitates, ubi vis locorum quavis auctoritate erectæ, & institutæ, & quibus communicationes factæ sunt, ac cujuscunque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archieonfraternitatibus, & congregationibus ubilibet existentibus hactenus aggregatæ aggregationum litteras, juxta formam novissime approbatam intra terminum in constitutione expressum, impetrare tenentur, alioquin dicto termino elapso nullius sunt roboris, & momenti ac eo ipso revocatæ & abolitæ censentur, ut ibidem *eadem constit. §. demum statuimus.*

3. † Et illa dictio eo ipso, est lata sententia, quæ inducit abolitionem absque sententia, aut ulteriori declaratione,

c. felicitis, §. si qua verò, de pæn. in 6. & l. fn. §. lib. verè, postquam, C. de iur. de liber.
184 Si autem † ministri aliqui superiores, vel officiales, quocunque nomine nuncupati, Ordinum, religionum, Institutorum, seu archieonfraternitatum, congregationum & confraternitatum hujusmodi quavis auctoritate, vel privilegio, & officio fungentes, præfulgeant, contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumpserint, erectiones institutiones & communicationes, privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum & indulgentiarum, aliorumque concessiones, & aggregationes per ipsos faciendæ, seu renovandæ, nullius redduntur roboris, vel momenti, & quilibet eorundem ministrorum superiorum, officialium, privationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, poenam, quæ ab alio, quàm Romano Pontifice, pro tempore existente, remitti non potest, eo ipso incurrunt, *ut in eadem constitut. §. quod si ministri.*

185 † Et remissio poenæ Papæ reservata ab inferiori relaxari minimè potest. *Navar. de censu. Eccles. c. 27. n. 72. ver. ceterum prædictis, & Sayr. in Thes. cas. cons. lib. 3. c. 25, num. 3. & 4.*

186 Postremò † dicta constitutio est perpetua, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, perpetuò, & inviolabiliter observanda, & ita, non aliter per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos: sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debet, *ut in eadem constitut. §. decernentes, quæ verba*